

SUPREMUM SIGNATURAEE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 15475/83 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

*Incid.: querelae nullitatis et restitutionis in integrum adversus decreta
Rotalia*

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno VII, die 1 iunii 1985, Supremum Signaturaee Apostolicae Tribunal videntibus Em.mis ac Rev.mis PP. DD. Aurelio Sabattani, *Praefecto et Ponente*, Petro Palazzini, Iosepho Ratzinger, Mario Aloysio Ciappi et Ernesto Civardi, in causa N, *Nullitatis Matrimonii*: X - Y, Incidentis: querelae nullitatis et restitutionis in integrum adversus decreta Rotalia, hoc tulit definitivum Decretum.

SPECIES FACTI

1. Per circiter novem annos vitam communem duxerunt X et Y, postquam nuptias celebraverunt die 21 augusti anni 1958 in Z.

Ex eorum convictu quinque nati sunt filii. Ast dein difficultates exortae sunt inter coniuges, et inducta est separatio, agnita a Tribunali canonico W.

Dein cogitaverunt de vinculo ipso coniugali abrumpendo. Ad hunc finem, tamen, effugienda duxerunt tribunalia W. Ideo primum instantiam proposuerunt Nostro Supremo Tribunal, ut prorogationem competentiae indulgeret, pro ipsorum causa, Tribunali V. Ast Signatura Apostolica (cf. prot. n. 6570/75 CP) indebitam processus translationem non admisit.

2. Nihilominus, immediate postea, invenerunt in A Tribunal Regionale N, quod seipsum competens declaravit “ratione domicilii partis conventae”, et causam iudicavit per sententiam diei 25 martii anni 1976, edicendo “Constare de nullitate matrimonii, in casu, ob exclusionem boni sacramenti ex parte viri”. Patronus partium fuit Adv. S.

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 15475/83 CG

Appellante vinculi Defensore, prouti de iure, ad Tribunal V, hoc forum, die 21 iunii eiusdem anni, ratam habuit decisionem primi gradus.

3. Tunc temporis, mulier, quae usque adhuc demissa et viro oboediens apparuerat, explodit et declarat quaenam fuerit vera rerum condicio. Fatetur se acceptare non posse decisionem duorum Tribunalium, quia ipsa a marito coacta fuerat ad causam proponendam et sustinendam contra veritatem, ob minas, a viro prolatas, eidem subtrahendi filios et alimenta.

Adit decepta uxor Romanam Rotam die 5 novembbris 1976 et petit quod res sub nova luce consideretur. Turnum Rotalis c. Ewers, die 11 martii 1978, decrevit novum causae examen admittendum esse.

Pars conventa D.nus Y appellavit ad Turnum superiorem c. Egan; sed proposita a viro querela nullitatis contra decretum c. Ewers, processus delatus est Signaturae Apostolicae, quae die 23 iunii 1980 decrevit “recursus non esse admittendum”. Unde causa rediit ad Turnum c. Egan, ratione appellationis propositae.

4. Ast aliae proponuntur obstructions cursui processus: instantia partis actricis pro actis transmittendis Promotori iustitiae ad actionem criminalem contra mulierem experiendam, et quaestio praeliminaris de habilitate mulieris ad retractationem causae proponendam.

His conventi petitionibus respondet decretum Rotale c. Egan diei 25 maii 1981, a solo Ponente datum, edicens relatas instantias non esse admittendas, quia, in actuali stadio iudicii, unica quaestio decidenda est “utrum decretum diei 11 martii 1978, emissum a Turno c. Ewers, confirmandum an infirmandum sit, in casu”.

Conventus recurrit ad Turnum, qui dei 11 maii 1982 confirmat decretum Ponentis Ewers diei 25 maii 1981. Nec huic decisioni acquievit conventus, qui provocavit ad Turnum superiorem c. Bruno, recipiens tamen hanc respcionem die 28 ianuarii 1983: “Recursum a patrono viri conventi propositum adversus decretum Turni c. Egan diei 11 martii 1982 reiciendum esse”. Ideo causa redit ad Turnum c. Egan, apud quem novis suscitatis quaestionibus et propositis instantiis, antea Ponens die 23 iunii 1983, et dein Turnus die 7 iulii 1983 negative respondent.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

5. Nec immune fuit Hoc Supremum Tribunal a complexa evolutione huius causae, quae per diuturnum tempus vexavit Romanam Rotam.

Die 14 iunii 1983 patronus partis conventae proposuit coram Signatura Apostolica querelam nullitatis adversus decreta Rotalia diei 11 martii 1982 c. Egan, et diei 23 ianuarii 1983 c. Bruno. Patronus quoque partis actricis, die 16 iulii 1983, instabat ut hoc Supremum Tribunal declararet nullitatem decreti Exc.mi Decani Rotae diei 20 martii 1983, quo nominatus fuit iudex Instructor extra turnum. Promotor iustitiae deputatus apud Signaturam, voto diei 19 septembris 1983, concludebat tum pro valore decreti Decani Rotae, tum pro valore decretorum Rotalium, ac ideo admonebat recursum esse reiciendum. Demum patronus partis conventae, die 23 novembris 1983, proponit querelam nullitatis et restitutionem in integrum adversus decreta Rotalia diei 7 iulii 1983 c. Egan, et diei 11 martii 1978 c. Ewers.

Sequentes proinde quaestiones propositae fuerunt disceptandae apud Signaturam Apostolicam:

I. An constet de nullitate decreti rotalis diei 11 martii 1978 c. Ewers; et, quatenus negative, an concedenda sit restitutio in integrum adversus tale decretum.

II. An constet de nullitate decreti Decani Rotae diei 20 martii 1978.

III. An constet de nullitate decreti rotalis diei 11 martii 1982 c. Egan.

IV. An constet de nullitate decreti rotalis diei 29 ianuarii 1983 c. Bruno.

V. An constet de nullitate decreti rotalis diei 7 iulii 1983 c. Egan; et, quatenus negative, an concedenda sit restitutio in integrum adversus tale decretum.

Supremum vero Signaturae Apostolicae Tribunal, proposito dubio: “An recursus, de quibus supra, admittendi sint ad disceptionem”, in Congressu diei 8 maii 1984 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito, decrevit: “Negative ad omnia, seu recursus, de quibus supra, non esse admittendos ad disceptionem”.

6. Patronus partis conventae, die 23 iunii 1984 et 26 iulii 1984, recursum interposuit ad Collegium Cardinalium Signaturae Apostolicae adversus decretum Signaturae diei 8 maii 1984. Die vero 18 augusti 1984

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 15475/83 CG

infrascriptus Cardinalis Praefectus Signaturae Apostolicae, praemissso quod Patronus partis conventae recurrentis:

“a. recurrat ad Collegium Cardinalium, et - quatenus id impossibile sit - petit restitutionem in integrum adversus secundum caput Decreti Huius Supremi Tribunalis diei 8 maii 1984;

“b. petit revocationem Decreti de novis nuptiis interdictis, ab Exc.mo Secretario Huius Supremi Tribunalis lati die 7 februarii 1978; et subordinate,

“c. recurrat ad Collegium Cardinalium et - quatenus id impossibile sit - petit restitutionem in integrum adversus Decretum Huius Supremi Tribunalis diei 23 iunii 1980, necnon adversus primum et quintum caput praefati Decreti diei 8 maii 1984”, decrevit:

“1. Primum haec Signatura Apostolica videbit, in Congressu, de petita revocatione Decreti diei 7 februarii 1978, de qua sub b”.

“2. Dein deferetur Patribus Cardinalibus recursus de quo supra sub a., necnon, si et quatenus decisio Congressus ad b. sit negativa, etiam recursus de quo sub c”.

In Congressu diei 15 novembris 1984 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito, Signatura Apostolica relate ad recursum de quo sub b., decrevit: “Litteras Signaturae Apostolicae diei 7 februarii 1978, in causa de qua agitur, esse confirmandas”.

7. Collegium Patrum Cardinalium Signaturae Apostolicae debet, in primis, quaestiones examinare sequentes:

I. An constet de nullitate decreti rotalis diei 11 martii 1978 c. Ewers; et, quatenus negative, an concedenda sit restitutio in integrum adversus tale decretum.

II. An constet de nullitate decreti Decani Rotae diei 20 martii 1978.

III. An concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum Signaturae Apostolicae diei 23 iunii 1980.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

IV. An constet de nullitate decreti rotalis diei 7 iulii 1983 c. Egan; et, quatenus negative, an concedenda sit restitutio in integrum adversus idem decretum. Dein respondere definitive proposito dubio:

“An decretum Signaturae Apostolicae diei 8 maii anni 1984 confirmandum vel infirmandum sit in casu, seu an recursus, de quibus supra, admittendi sint ad disceptationem”.

II - IN IURE ET IN FACTO

I. An constet de nullitate decreti Rotalis diei 11 martii 1978, c. Ewers; et, quatenus negative, an concedenda sit restitutio in integrum adversus tale decretum.

a) *De nullitate decreti rotalis*

8. Nullitas decreti rotalis c. Ewers e dupli capite petitur declarari a patrono partis conventae: primo, quia pars actrix seu D.na X haberi debet inhabilis ad petendam novam causae propositionem ex eo quod ipsa nullum gravamen obtinet e declaratione nullitatis matrimonii nullumque interesse demonstrat habere ad novam causae propositionem petendam.

Secundo, quia nova causae propositio conceditur a decreto rotali c. Ewers, quin praecesserit contradictorium inter partes, immo quin parti conventae concessum fuerit ius sese defendendi relate ad concessionem novi examinis causae. Ad primam adductam rationem nullitatis decreti sufficiat referre verba quibus decretum Signaturae Apostolicae diei 23 iunii 1980 contrarium ostendebat: “negari non potest partem atricem interesse habuisse directum et actuale ad novam causae propositionem, fundatum in iure petendi declarationem circa verum statum propriae personae”.

Ipsa insuper mulier conventa censetur gravata a sententia nullitatis matrimonii, quatenus ipsa matrimonium cum actore initum retinet validum, idque demonstrare intendit in processu, post novam causae propositionem admissam, instaurando. Praeterea nullibi iure statutum est quod facultas petendi novum causae examen pertineat ad solam partem processualiter gravatam.

Ad secundam vero rationem respondendum est doctrinam, iurisprudentiam constantem tribunalum et praxim ubique vigentem non requiri contradictionum vel auditionem seu interventum alterius partis in

concedendo vel denegando novo causae examine, sicuti non requiritur in admissione vel reiectione libelli causae introductorii. “Admissio vel reiectio novae causae propositionis est res, quae absolvitur inter iudicem, partem petentem et Defensorem vinculi et, si casus ferat, Promotorem iustitiae” (AEG. DEL CORPO, *De retractatione causae matrimonialis*, Neapoli, 1969, 150).

Quapropter non requiritur praevia partis conventae citatio, nec contestatio litis, nec concordantia dubiorum. “Nec dici potest hoc modo laedi ius alterius partis, quae in casu v. gr. iam novum matrimonium contraxit vel contractura sit, quando duae (vel plures) sententiae conformes praecedentes pro nullitate matrimonii fuerint” (AEG. DEL CORPO, op. cit., 131); nam agitur tantum de reassumenda instantia causae iam mortuae seu finitae, non de merito eiusdem causae definiendo. Quaestio de concedenda causae retractatione inaudita altera parte cognoscitur” (AEG. DEL CORPO, op. cit., 102).

Etiam si admitti potest principium a Patrono partis conventae allegatum: “il diritto di difesa è inviolabile ‘sempre’ (can. 1598, §1)” (cf. ric. 23. 6. 1984, 3), nequeunt admitti consequentiae prout sonant:” quindi in ogni stadio e grado del procedimento (can. 221, §1), di conseguenza anche in quella per la concessione della nova causae propositio” (ib.), quia ius propriae defensionis exercendum est, non ad libitum partis, sed ad normam iuris, ut par est. Iure meritoque igitur Signatura Apostolica, decreto diei 23 iunii 1980, reiecit querelam nullitatis adversus decretum rotale diei 11 martii 1978 c. Ewers, a Patrono partis conventae propositam.

b) *De restitutione in integrum*

9. Patronus restitutionem in integrum adversus decretum rotale c. Ewers proponit quia “con la introduzione della nova causa *retractatio*... può ledersi gravemente ed a tempo indeterminato uno dei diritti fondamentali dell'uomo, quello al matrimonio. L'ingiusta concessione della *nova causae retractatio* ha portato seco nel caso come conseguenza la sospensione dell'esecutività delle sentenze canoniche *de merito causae*..., e, quindi, da quasi sei anni, l'impossibilità per il convenuto di esercitare il suo diritto naturale di passare a nuove nozze, diritto riconosciutogli da una doppia sentenza conforme dichiarante la nullità del matrimonio da lui celebrato”.

Easdem rationes repetit Patronus in recursu diei 23 iunii 1984.

Attamen, restitutio in integrum valde differt ab appellatione, et admitti

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

nequit nisi propter rationes a iure expressas (can. 1645). Patronus videtur proponere restitutionem in integrum ex eo quod in decreto rotali c. Ewers “legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum fuerit” (can. 1645, §2, 4°), idest ob neglectum praescriptum canonis 1684, §1, vi cuius, post duas sententias conformes, “possunt novas nuptias contrahere statim ac decretum vel altera sententia ipsis notificata est” (can. 1684, §1). At Patronus videtur ignorare ultima verba huiusmodi canonis: “nisi vetito ipsis sententiae aut decreto apposito vel ab Ordinario loci statuto id prohibeatur” (can. 1684, §1).

In decreto, enim, ratihabitionis sententiae affirmativae primi gradus, a tribunali V die 21 iunii 1976 dato, appositorum fuit viro vetitum transeundi ad alias nuptias. Unde nullum legis praescriptum neglectum est in casu, quia canon expresse admittit quod tribunal possit prohibere exercitium iuris transeundi ad novas nuptias. “Vetitum”, ut recte notat Patronus partis conventae, non suspendit quidem exsecutionem sententiae (rec. cit., 5), sed impedit exercitium iuris contrahendi novum matrimonium.

Adnotari quoque debet: a) decretum rotale c. Ewers nihil expresse statuit circa vetitum aut circa suspensionem exsecutionis sententiae; b) suspensio exsecutionis decreta fuit a Signatura Apostolica per litteras diei 7 februarii 1978, deinde ab ipsa Signatura confirmatas decreto diei 15 novembris 1984. Unde suspensio exsecutionis sententiae non pendet directe a decreto c. Ewers, sed a decretis Signaturae Apostolicae, motivis decidendi munitis.

Ideo restitutio in integrum adversus decretum rotale diei 11 martii 1978 c. Ewers admitti nequit in casu.

II. An constet de nullitate decreti Decani Rotae diei 20 martii 1978.

10. Hoc decretum tulit Decanus Rotae ad instantiam Ponentis D. Ewers, quae ita concepta erat: “In causa de qua supra (i.e. nullitatis matrimonii) Patres de Turno die 11 mensis martii a. 1978 decreverunt: “novum causae examen admittendum esse”.

Ob gravissimas asseverationes atque accusationes Patres de Turno inquisitionem ulteriorem exigunt. Et ideo, Exc.mus et Rev.mus Decanus rogatur ut Iudex instructor extra Turnum pro causa de qua supra constituatur. Decretum vero Decani ita sonat: “Iudex Instructor in causa sit R. P. D. Joseph M. Serrano” (Act. Rotae, all. XII).

Partis actricis, id est mulieris X, Patronus impugnavit nullitate hoc decretum Decani Rotae, sed Signatura Ap., decreto diei 8 maii 1984, propositam nullitatem reiecit. Nunc vero Patronus partis conventae,

quamvis admittat valorem decreti Decani Rotalis, recurrit contra motiva allegata a Signatura Apostolica in praedicto decreto diei 8 maii 1984, et sustinet iudicem instructorem extra Turnum fuisse constitutum pro sola causa poenali, minime vero pro causa nullitatis matrimonii.

Attamen conclusio Patroni partis conventae admitti nequit:

a) quia unica causa tunc legitime introducta seu admissa ad novum examen erat causa nullitatis matrimonii. Causa poenalis non exsistebat, neque adhuc exsistit. Unde iudex instructor constitui non poterat pro causa huiusmodi; b) ratio iudicis instructoris praevidebatur in ipso decreto rotali diei 11 martii 1978 his verbis:” Sane quidem eiusmodi gravissimae asseverationes atque accusationes inquisitionem ulteriorem exigunt, ut causae meritum una cum forte connexis quaestionibus definitive solvatur”.

Unde iudex instructor constitutus fuit immediate in causa et “pro causa” nullitatis matrimonii; mediante etiam pro possibili futura quaestione connexa proponenda et deinde solvenda cum causa principali nullitatis matrimonii.

III. An concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum Signaturae Apostolicae diei 23 iulii 1980.

11. Signatura Apostolica, decreto diei 23 iunii 1980, non admisit ad disceptationem recursum partis conventae proponentis querelam nullitatis adversus decretum rotale diei 11 martii 1978 c. Ewers, quod novum causae examen admisit.

Signatura Apostolica, decreto diei 8 maii 1984, nedum confirmavit proprium decretum diei 23 iunii 1980, verum etiam non admisit restitutio in integrum adversus praedictum decretum rotale diei 11 martii 1978 c. Ewers (cf. descr. Signaturae d. 8. 5. 1984, 4°, 5° et 6°).

Nunc Patronus partis conventae petit restitutio in integrum adversus decretum Signaturae Apostolicae diei 23 iunii 1980. Sed cum hoc decretum confirmatum sit posteriori decreto ipsius Signaturae diei 8 maii 1984, restitutio in integrum proponi potest tantum adversus decretum Signaturae diei 8 maii 1984 in responso ad dubium I. Immo, si res profundius perpendatur, agendum esset de restitutio in integrum adversus decretum rotale c. Ewers, quod datum fuit de merito admissionis causae ad novum examen, non de restitutio in integrum adversus decretum Signaturae quod meritum causae non respiciebat. De restitutio in integrum adversus decretum rotale c. Ewers quaestio proposita est supra (Dub. I) et negative

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

soluta.

In quolibet casu, Patronus partis conventae nullam allegat rationem ad fundandam restitutionem in integrum adversus decretum Signaturae Apostolicae diei 23 iunii 1980, nullumque indicat praescriptum legis neglectum in casu. Re vera, in praedictis decretis Signaturae dierum 23 iunii 1980 et 8 maii 1984 nullum apparet legis praescriptum neglectum. Ideo nulla ratio ad recursum admittendum.

IV. An constet de nullitate decreti diei 7 iunii 1983 c. Egan; et, quatenus negative, An concedenda sit restitutio in integrum adversus tale decretum.

a) *De nullitate decreti rotalis*

12. Decretum rotale diei 7 iulii 1983 c. Egan datum fuit in gradu appellationis a memorato decreto diei 11 martii 1978 c. Ewers.

Patronus partis conventae censem decretum c. Egan laborare nullitate “per attentato e violazione del diritto di difesa della parte convenuta”.

At Ponens Rotalis, decreto diei 7 maii 1983, accurate determinaverat quaestionem per memorialia solvendam: “Utrum Decretum c. Ewers diei 11 martii 1978 confirmandum sit an infirmandum in casu”, tempusque statuerat ad memorialia exhibenda, scilicet “intra tres hebdomadas”, et ad quaestionem propositam solvendam, scilicet “die 23 iunii 1983, hora decima”.

Die vero 14 maii 1983, Patronus partis conventae, loco exhibendi memoriale iuxta decretum Ponentis, “instat ut citentur domini ut articulis seorsum indicatis respondeant”, seu, aliis verbis, “il sottoscritto presentava istanza istruttoria tendente a far accertare la genuinità ed autenticità dei documenti presentati dall’attrice e la veridicità di quanto da essa asserito”. Ponens, qui iam decisionem quaestione remiserat ad diem 7 iulii 1983, decreto diei 23 iunii 1983, Patrono die 2 iulii 1983 notificato, reiecit instantiam partis conventae.

Haec denegatio instructoriae praeviae dupli modo retinetur a Patrono qua denegatio iuris ad propriam defensionem: primo, quia “il convenuto aveva cioè il diritto di poter provare che gli argomenti e documenti presentati dalla parte avversa erano, in realtà, falsi; secundo, quia inter reiectionem instantiae et emissum decretum “sono trascorsi solo cinque giorni” et ideo “non solo è stato conculcato il suo diritto alla ammissione dei mezzi di prova, ma anche il diritto di azione, essendogli stati tolti i termini di legge (dieci giorni) per proporre ricorso”.

Animadverti debet: pars conventa habet quidem ius ad propriam defensionem et, consequenter, ad probationes exhibendas quibus petitio actoris infundata demonstretur aut penitus elidatur; at hoc ius exercendum est legitime, id est tempore et modo a lege statutis.

In casu, Turnus rotalis c. Egan, si et quatenus decretum c. Ewers erat appellabile, nihil aliud poterat agere vel decidere praeter confirmare aut reformare ipsum appellatum decretum c. Ewers, et certo erat incompetens ad quaestiones examinandas in instantia partis conventae diei 14 maii 1983 propositas, quia Turnus tantum constitutus erat ad quaestionem incidentem videndam, i.e. ad confirmandum vel infirmandum decretum c. Ewers.

Ad praedictas quaestiones examinandas, ad probationes admittendas et experiendas competens erat, et est, tantum Turnus c. Egan, cui causa restituta est post decretum c. Egan pro instructione et definitione.

Quare Turnus c. Egan minime negavit parti conventae ius defensionis, sed huius iuris exercitum remisit apud Turnum c. Ewers, penes quem causa principalis instruenda erat ac definienda una cum aliis forse exortis quaestionibus connexis.

Unde decretum rotale c. Egan nequit aestimari nullum ob denegatum parti conventae ius defensionis.

b) De restitutione in integrum

13. Patronus partis conventae proponit “istanza di restituzione in integrum contro il decreto de quo (c. Egan) per manifesta ingiustizia provocata dall’evidente violazione di un diritto non meramente processuale”, id est ob manifestam iniustitiam ex violato iure partis conventae contrahendi novas nuptias post decretum ratam habens sententiam primi gradus, nullitatem matrimonii declarantem in casu.

At, prout iam supra notatum est, denegatum exercitium iuris partis conventae ineundi novas nuptias non pendebat, in casu, a decretis Rotalibus, sed a “vetito” apposito a tribunali secundi gradus et a decretis Signaturae Apostolicae dierum 7 februarii 1978 et 15 novembris 1984.

Decretum rotale c. Egan, sicut fecerat decretum appellatum c. Ewers, nihil statuit circa suspensionem exsecutionis decisionum tribunalium inferiorum, aut circa exercitum iuris viri conventi novas contrahendi nuptias. Unde in subiecta materia non potuit manifestam iniustitiam inferre aut aliquod ius denegare. Iuvat, in fine mentem iterum revocare canonem 1684, qui, post confirmatam in altero gradu sententiam affirmantem matrimonii nullitatem, non tribuit partibus ius absolutum contrahendi novas nuptias, sed tantum “nisi vetito ipsi sententiae aut decreto apposito vel ab

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Ordinario loci statuto id prohibeatur” (can. 1684), prout in casu praesenti verificatum est, in quo “vetitum” contrahendi novas nuptias appositorum fuit a tribunali secundi gradus, et suspensio exsecutionis decisionum tribunalium inferiorum statuta est a duobus decretis Signaturae Apostolicae, dierum 7 februarii 1978 et 15 novembris 1984. Unde restitutio in integrum non demonstratur applicanda in casu.

14. Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro Tribunalis sedens ac solum Deum pree oculis habens, Christi nomine invocato, proposito dubio respondendum censuit uti respondet:

“Decretum Signaturae Apostolicae diei 8 maii anni 1984 confirmandum esse, in casu”, seu “Recursus, de quibus supra, admittendos non esse ad disceptationem” .

(Sign.ti)	Aurelius Card. SABATTANI, <i>Praefectus</i>
	Petrus Card. <i>Palazzini</i>
	Ioseph Card. RATZINGER
	Marius Aloysius Card. CIAPPI
	Ernestus Card. CIVARDI

ET NOTIFICETUR

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 19 iunii 1985.

+Zenon GROCHOLEWSKI, Secr.
Vincentius CÁRCE1 ORTÍ, Canc. Mod.